

QUÆSTIO CXXXV

De parvificentia

in duos articulos divisa

DEinde considerandum est de vitiis oppositis magnificentiæ: & circa hoc quaeruntur duo.

Primo, utrum parvificentia sit vitium.

Secundo, de vicio ei opposito.

ARTICULUS I. 666

Utrum parvificentia sit vitium

IV. Ethic. lect. 7a

AD primum sic proceditur. Videtur quod parvificentia non sit vitium. Virtus enim sicut est moderativa magnorum, ita etiam est moderativa parvorum: unde & liberales, & etiam magnifici aliqua parva faciunt. Sed magnificencia est virtus. Ergo etiam similiter parvificentia magis est virtus quam vitium.

2. Præterea, Philosophus dicit in IV. Ethicor. (cap. 11. ante med.) quod *diligentia rationis est parvifica*. Sed diligentia rationis videtur esse laudabilis: quia *bonum hominis est secundum rationem esse*, ut Dionysius dicit in IV. cap. de divin. Nomin. (part. IV. lect. 22.) Ergo parvificentia non est vitium.

3. Præterea, Philosophus dicit in IV. Ethicor. (cap. 11. in fin.) quod *parvificus consumit pecuniam tristatur*. Sed hoc pertinet ad avaritiam, sive ad illiberalitatem. Ergo parvificentia non est vitium ab aliis distinctum.

Sed contra est quod Philosophus in II. Ethic. (cap. VII.) & in IV. (cap. 11. ad fin.) ponit parvificentiam speciale vitium magnificentiæ oppositum.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (1. 2. quest. 1. art. 3. & quest. XVII. art. 6.) moralia speciem à fine sortiuntur, unde & à fine ut pluries nominantur. Ex hoc ergo dicitur aliquis parvificus, quod intendit ad aliquid parvum faciendum. Parvum autem, & magnum, secundum Philosophum in Prædicamentis (cap. Ad aliquid) relative dicuntur. Unde cum dicitur, quod parvificus intendit aliquid parvum facere, intelligendum est in comparatione ad genus operis quod facit.

In quo quidem parvum, & magnum potest attendi dupliciter: uno modo ex parte operis fieri; alio modo ex parte sumptus. Magnificus ergo principaliter intendit magnitudinem operis; secundario intendit magnitudinem sumptus, quam non vitat, ut facias

magnum opus. Unde & Philosophus dicit in IV. Ethic. (cap. IV. circ. med.) quod *magnificus equali sumptu opus facit magis magnificum*. Parvificus autem est converso principaliter quidem intendit parvitatē sumptus: unde & Philosophus dicit in IV. Ethic. (cap. 11. ad fin.) quod *intendit qualiter minimum consumat*. Ex consequenti autem intendit parvitatē operis, quam scilicet non recusat, dummodo parvum sumptum faciat: unde Philosophus dicit ibidem, quod *parvificus maxima consumens in parvo*, scilicet quod non vult expendere, *bonum perdit*, scilicet magnifici operis. Sic ergo patet quod parvificus deficit à proportionē, quæ debet esse secundum rationem inter sumptus, & opus. Defectus autem ab eo quod est secundum rationem, causat rationem vicii. Unde manifestum est quod parvificentia vitium est.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus moderatur parva secundum regulam rationis, à qua deficit parvificus, ut dictum est (in corpor.) non enim dicitur parvificus qui parva moderatur, sed qui in moderando magna, vel parva, deficit à regula rationis: & ideo habet vicii rationem.

Ad secundum dicendum, quod, sicut Philosophus dicit in II. Rhet. (cap. V. circ. med.) *timor facit consultatior*: & ideo parvificus diligenter rationis intendit, quia inordinatē timet bonorum suorum consumptionem etiam in minimis. Unde hoc non est laudabile, sed vitiosum, & vituperabile: quia non dirigit affectum suum secundum rationem, sed potius rationis usum applicat ad inordinationem sui affectus.

Ad tertium dicendum, quod sicut magnificus convenit cum liberali in hoc quod promprens, & delectabiliter pecunias emitit; ita etiam parvificus convenit cum illiberali, sive avaro in hoc quod cum tristitia, & tarditate expensas facit. Differt autem in hoc quod illiberalitas attenditur circa communes sumptus; parvificentia autem circa magnos sumptus, quos difficillius est facere: & ideo minus vitium est parvificentia quam illiberalitas. Unde Philosophus dicit in IV. Ethic. (cap. 11. in fin.) quod *quamvis parvificentia, & vitium oppositum sine malitia, non tamen opprobria inferunt: quia nec sunt nociva proximo, nec sunt valde turpia*.

AR-

ARTICULUS II. 667

Utrum parvificentiæ aliquid vitium opponatur.

IV. Eth. lect. 7.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod parvificentiæ nullum vitium opponatur. Parvo enim opponitur magnum. Sed magnificentiæ non est vitium, sed virtus. Ergo parvificentiæ non opponitur vitium.

2. Præterea, Cum parvificentiæ sit vitium ex defectu, ut dictum est (art. præc.) videtur quod si aliquid vitium esset parvificentiæ oppositum, confisteret solum in superabundanti consumptione. Sed illi qui consumunt multa ubi pauca consumere oporteret, consumunt pauca ubi multa oporteret consumere, ut dicitur in IV. Ethic. (cap. 11. circ. fin.) & sic habent aliquid de parvificentiā. Non ergo est aliquid vitium parvificentiæ oppositum.

3. Præterea, Moralia sortiuntur speciem ex fine, ut dictum est (art. præc.) Sed illi qui superflue consumunt, hoc faciunt causa ostentationis divitiarum, ut dicitur in IV. Ethicor. (loc. cit.) Hoc autem pertinet ad inane gloriam, quæ opponitur magnanimitati, ut dictum est (quest. cxxx. art. 2.) Ergo nullum vitium parvificentiæ opponitur.

Sed contra est auctoritas Philosophi, qui in II. Ethic. (cap. VII.) & in IV. (cap. 11.) ponit magnificentiæ medium duorum oppositorum vitiarum.

Respondeo dicendum, quod parvo opponitur magnum. Parvum autem, & magnum relative dicuntur, ut dictum est (art. præc.) Sicut autem contingit sumptum esse parvum per comparationem ad opus; ita etiam contingit sumptum esse magnum in comparatione ad opus, ut scilicet excedat proportionem, quæ esse debet sumptus ad opus secundum regulam rationis. Unde manifestum est quod vitio parvificentiæ, quo aliquis deficit à debita proportione expensarum ad opus, intendens minus expendere quam dignitas operis requirit, opponitur vitium quo aliquis dictam proportionem excedit, ut scilicet plus expendat quam sit operi proportionatum.

Et hoc vitium græce quidem dicitur *Banastia* à furno dicta, quia videlicet ad modum ignis, qui est in furno, omnia consumit. Vel dicitur *spiritalia*, id est sine bono igne, quia ad modum ignis omnia consumit non propter bonum. Unde latine hoc vitium potest nominari *consumptio*.

Ad primum ergo dicendum, quod magnificentiæ dicitur esse ex eo quod facit magnum opus, non autem ex eo quod in sumptu excedat proportionem operis. Hoc enim pertinet ad vitium quod opponitur parvificentiæ.

Ad secundum dicendum, quod idem vitium contrariatur virtuti, quæ est in medio, & contrario vicio. Sic ergo vitium consumptionis opponitur parvificentiæ in eo quod excedit in sumptu operis dignitatem, expendens multa ubi pauca oporteret expendere. Opponitur autem magnificentiæ ex parte operis magni, quod præcipue intendit magnificus, in quantum scilicet ubi oportet multa expendere, nihil, aut parum expendit.

Ad tertium dicendum, quod consumptor ex ipsa specie actus opponitur parvificentiæ, in quantum transcendit regulam rationis, à qua parvificus deficit. Nihil tamen prohibet quin hoc ad finem alterius vicii ordinetur, puta inanis gloriæ, vel cupiditatis alterius.

QUÆSTIO CXXXVI.

De patientia.

in quinque articulos divisa.

DEinde considerandum est de patientia: & circa hoc quaeruntur quinque.

Primo, utrum patientia sit virtus.

Secundo, utrum sit maxima virtutum.

Tertio, utrum possit haberi sine gratia.

Quarto, utrum sit pars fortitudinis.

Quinto, utrum sit idem cum longanimitate.

ARTICULUS I. 668

Utrum patientia sit virtus.

AD primum sic proceditur. Videtur quod patientia non sit virtus. Virtutes enim perfectissime sunt in patria, ut Augustinus dicit in XIV. de Trinit. (cap. 12.) Sed ibi non est patientia: quia nulla sunt ibi mala toleranda, secundum illud Iſa. XLIX. 10. & Apocal. VII. 16. *Non esturient, neque sitient, & non percutiet eos aestus, neque Sol*. Ergo patientia non est virtus.

2. Præterea, Nulla virtus in malis potest inveniri: quia virtus est *quæ bonum facit habentem*. Sed patientia quandoque in malis hominibus invenitur; sicut patet in avaris, qui multa mala patienter tolerant, ut pecunias congregent, secundum illud Eccli. V. 16. *Cunctis diebus vite sue comedit in tenebris, & in civis multus, & in arumna, atque tristitia*. Ergo patientia non est virtus.

3. Præterea, Fructus à virtutibus differunt, ut supra habitum est (1. 2. quest. LXX. art. 1. ad 3.) Sed patientia ponitur inter fructus, ut patet Galat. V. Ergo patientia non est virtus.

Sed

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de patientia (in princ.) Virtus animi que patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, ut etiam ipsius qui nobis eam largitur, patientia prædicetur.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est supra (secundum c. 11. art. 1.) virtutes morales ordinantur ad bonum, in quantum conservant bonum rationis contra impetum passionum. Inter alias autem passiones tristitia efficacax est ad impediendum bonum rationis, secundum illud II. ad Corinth. vii. 10. Seculi tristitia mortem operatur: & Eccles. xxx. 25. Multos occidit tristitia, & non est utilitas in illa. Unde necesse est habere aliquam virtutem per quam bonum rationis conservetur contra tristitiam, ne scilicet ratio tristitia succumbat. Hoc autem facit patientia. Unde Augustinus dicit in Lib. de patientia (c. 11. in princ.) quod patientia hominis est, qua mala aequo animo toleramus, id est sine perturbatione tristitia, ne animo iniquo bona deseramus, per que ad meliora perveniamus. Unde manifestum est patientiam esse virtutem.

Ad primum ergo dicendum, quod virtutes morales non remanent secundum eundem actum in patria quem habent in via, scilicet per comparisonem ad bona presentis vite; que non remanebunt in patria; sed per comparisonem ad finem; qui erit in patria: sicut iustitia non erit in patria circa emptiones, & venditiones, & alia que pertinent ad presentem vitam; sed in hoc quod est subditum esse Deo. Similiter actus patientie in patria non erit in sustinendo aliqua, sed in fruitione honorum, in que pervenire volebamus patientia. Unde Augustinus dicit in XIV. de civitate Dei (cap. 1x. ad fin.) quod in patria non erit ista patientia, que necessaria non est, nisi ubi toleranda sunt mala; sed æternum erit id quo per patientiam pervenitur.

Ad secundum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in Lib. de patientia (cap. 11. & cap. v. à medio) patientes proprie dicuntur qui malum mala non committendo ferre, quam non ferendo committere. In illi autem qui mala sustinent, ut mala faciant, nec miranda, nec laudanda est patientia, que nulla est; sed miranda duritia, neganda patientia.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est (1. 2. quæst. xi. art. 1.) fructus in sui ratione importat quamdam delectationem. Sunt autem operationes virtutum delectabiles, secundum seipsas, ut dicitur in I. Ethic. (cap. vii. 1. à med.) Consuetum est autem ut nomine virtutis etiam virtutum actus significetur. Et ideo patientia quantum ad habitum ponitur virtus; quantum autem ad delectationem quam habet in actu, ponitur fructus; & præcipue quantum ad hoc quod per patientiam animus præservatur, ne obstruatur tristitia.

ARTICULUS II.

Utrum patientia sit potissima virtutum.

1. 2. quæst. LXXI. art. 3. ad 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod patientia sit potissima virtutum. Id enim quod est perfectum, est potissimum in unoquoque genere. Sed patientia habet opus perfectum, ut dicitur Jacobi 1. 4. Ergo patientia est potissima virtutum.

Præterea. Omnes virtutes ad bonum animæ ordinantur. Sed hoc præcipue videtur pertinere ad patientiam: dicitur enim Luc. xxi. 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Ergo patientia est maxima virtutum.

Præterea. Illud quod est conservativum, & causa aliorum, videtur potius esse. Sed, sicut Gregorius dicit in quodam homil. (xxxv. in Evang. parum ante med.) patientia est radix, & custos omnium virtutum. Ergo patientia est maxima virtutum.

Sed contra est quod non enumeratur inter quatuor virtutes quas Gregorius XXII. Moral. (cap. 1.) & Augustinus in Lib. de morib. Ecclesie (cap. xv.) vocant principales: scilicet realiter.

Respondeo dicendum, quod virtutes secundum suam rationem ordinantur ad bonum. Est enim virtus que facit bonum habentem, & opus ejus bonum reddit, ut dicitur in II. Ethic. (cap. vi.) Unde oportet quod tanto principalior sit virtus, & potior, quanto magis, & directius ordinat hominem in bonum. Directius autem ad bonum ordinant hominem virtutes que sunt constitutive boni, quam ille que sunt impeditivæ eorum que abducunt à bono: & sicut inter eas que sunt constitutive boni, tanto aliqua potior est, quanto in majori bono statuit hominem (sicut fides, spes, & caritas quam prudentia, & iustitia); ita & inter illas que sunt impeditivæ retrahentium à bono, tanto aliqua est potior, quanto id quod ab ea impeditur, magis à bono retrahit. Plus autem à bono retrahunt pericula mortis, circa que est fortitudo, vel delectationes tactus, circa quas est temperantia, quam quævis adversa, circa que est patientia.

Et ideo patientia non est potissima virtutum; sed deficit non solum à virtutibus theologis, & prudentia, & iustitia; que directe statuunt hominem in bono; sed etiam à fortitudine, & temperantia, que retrahunt à majoribus impediementis.

Ad primum ergo dicendum, quod patientia dicitur habere opus perfectum in adversis tolerandis: ex quibus primo procedit tristitia, quam moderatur patientia; secundo ira, quam mo-

moderatur mansuetudo; tertio odium, quod tollit caritas; quarto injustum nocumentum, quod prohibet iustitia. Tollere enim principium uniuscujusque est perfectius. Nec tamen sequitur, si in hoc patientia est perfectior, quod sit perfectior simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod possessio importat quietum dominium: & ideo per patientiam dicitur homo suam animam possidere, in quantum radicatus evellit passiones adversitatum, quibus anima inquietatur.

Ad tertium dicendum, quod patientia dicitur esse radix, & custos omnium virtutum, non quasi directe eas causando, & conservando, sed solum removendo prohibeus.

ARTICULUS III.

Utrum patientia possit haberi sine gratia.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod patientia possit haberi sine gratia. Illud enim ad quod ratio magis inclinatur, magis potest implere rationalis creatura. Sed magis est rationabile quod aliquis patitur mala propter bonum quam propter malum: aliqui autem patiuntur mala propter malum ex propria virtute sine auxilio gratie: dicit enim Augustinus in Lib. de Patientia (cap. 11. in princ.) quod multa in laboribus, & ad tribus sustinent homines propter ea que vitiose diligunt. Ergo multo magis homo potest mala sustinere propter bonum, quod est vere patientem esse, præter auxilium gratie.

Præterea. Aliqui non existentes in statu gratie magis abhorrent mala vitiorum quam corporalia mala: unde quidam Gentilium leguntur multa mala tolerasse, ne patriam perderent, aut aliquid aliud inhonestum committerent. Sed hoc est vere patientem esse. Ergo videtur quod patientia possit haberi absque auxilio gratie.

Præterea. Manifeste apparet quod aliqui propter sanitatem corporis recuperandam gravia quecumque, & amara patiuntur. Salus autem anime non est minus appetibilis quam sanitas corporis. Ergo pari ratione pro salute anime potest aliquis multa mala sustinere, quod est vere patientem esse, absque auxilio gratie.

Sed contra est quod dicitur in Psalm. lxi. 6. Ab ipso, scilicet Deo, patientia mea. Respondeo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in lib. de Patientia (cap. 1v. circ. fin.) vis desideriorum facit tolerantiam laborum, & dolorem; & nemo, nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. Et huius ratio est, quia tristitiam, & dolorem secundum Th. Op. Tom. IV.

(a) Ita editiones omnes Nicolæo posteriore, Cod. A. cum aliisque, & editiones veteres plures omittunt propter bona. Ita habent pro his in quibus, &c.

dum se abhorret animus: unde numquam eligeret eam pari propter se, sed solum propter finem. Ergo oportet quod illud bonum propter quod aliquis vult pati mala, sit magis volitum, & amatum, quam illud bonum cuius privatio ingerit dolorem, quem patienter toleramus. Quod autem aliquis præferat bonum gratie omnibus naturalibus bonis, & ex quorum amissione potest dolor casuari, pertinet ad caritatem, que diligit Deum super omnia. Unde manifestum est quod patientia, secundum quod est virtus, à caritate casatur, secundum illud I. ad Corinth. xi. 4. Caritas patientia est.

Manifestum est autem quod caritas non potest haberi nisi per gratiam, secundum illud ad Rom. vi. 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Unde patet quod patientia non potest haberi sine auxilio gratie.

Ad primum ergo dicendum, quod in natura humana, si esset integra, prævaleret inclinatio rationis; sed in natura corrupta prævaleret inclinatio concupiscentie, que in homine dominatur. Et ideo prior est homo ad sustinendum mala (a) propter bona in quibus concupiscentia delectatur prænaturaliter, quam tolerare mala propter bona futura, que secundum rationem appetuntur; quod tamen pertinet ad veram patientiam.

Ad secundum dicendum, quod bonum politica virtutis commenturatum est nature humane: & ideo absque auxilio gratie gratum facientis potest voluntas humana in illud tendere, licet non absque auxilio gratie Dei. Sed bonum gratie est supernaturalis: unde in illud non potest tendere homo per virtutem sue nature. Et ideo non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod tolerantia etiam malorum, que quis sustinet propter corporis sanitatem, procedit ex amore quo homo naturaliter diligit suam carnem. Et ideo non est similis ratio de patientia, que procedit ex amore supernaturali.

ARTICULUS IV. 671

Utrum patientia sit pars fortitudinis.

Sup. quæst. cxxxv. 1. 1. & locis ibi notatis.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod patientia non sit pars fortitudinis. Idem enim non est pars sui ipsius. Sed patientia videtur idem esse fortitudini: quia, sicut supra dictum est (quæst. cxxxv. art. 6.) proprius actus fortitudinis est sustinere: & hoc etiam pertinet ad patientiam: dicitur enim in lib. Sentent. Prosperi (id habet Gregorius homil. xxxv. in Evang. circa med.) quod patientia consistit in alieni malis tolerandi. Ergo patientia non est pars fortitudinis.

2. Præterea. Fortitudo est circa timores, & audacias, ut supra habitum est (quæst. cxxxv. art. 3.) & ita est in irascibili. Sed patientia videtur esse circa tristitias; & ita videtur esse in concupiscibili. Ergo patientia non est pars fortitudinis, sed magis temperantia.

3. Præterea. Totum non potest esse sine parte. Si ergo patientia sit pars fortitudinis, fortitudo nunquam posset esse sine patientia; cum tamen fortis quandoque non toleret patienter mala, sed etiam aggrediatur eum qui mala facit. Ergo patientia non est pars fortitudinis.

Sed contra est quod Tullius in sua Rhetorica (lib. II. de Invent. aliquant. ante fin.) ponit eam fortitudinis partem.

Respondeo dicendum, quod patientia est pars fortitudinis quasi potentialis, quia adiungitur fortitudini sicut virtus secundaria principali.

Ad patientiam enim pertinet aliena mala æquanimiter perpeti, ut Gregorius dicit in quadam hom. (xxxv. in Evang. parum ante med.) In malis autem quæ ab aliis inferuntur, præcipua sunt, & difficillima ad sustinendum illa quæ pertinent ad pericula mortis, circa quæ est fortitudo. Unde patet quod in ista materia principalitatem tenet fortitudo, quasi vendicans sibi id quod principaliter est in hac materia. Et ideo patientia adiungitur ei sicut secundaria virtus principali.

Ad primum ergo dicendum, quod ad fortitudinem pertinet, non qualicumque sustinere, sed illud quod est summe difficile in sustinendo, scilicet sustinere pericula mortis. Ad patientiam autem potest pertinere sustinentia quorumcumque malorum.

Ad secundum dicendum, quod actus fortitudinis non solum consistit in hoc quod aliquis in bono persistat contra timores futurorum periculorum, sed etiam ut non deficiat propter præsentium tristitiam, sive dolorem: & ex hac

parte habet affinitatem cum fortitudine patientia. Et tamen fortitudo est principaliter circa timores, ad quorum rationem pertinet fugere, quod vitat fortitudo; patientia vero principaliter est circa tristitias: nam patiens dicitur aliquis non ex hoc quod non fugit, sed ex hoc quod laudabiliter se habet in patientiando quæ preferentialiter nocent, ut scilicet non inordinate ex eis tristetur. Et ideo fortitudo est proprie in irascibili, patientia autem in concupiscibili. Nec hoc impedit quia patientia sit pars fortitudinis: quia adjunctio virtutis ad virtutem non attenditur secundum subiectum, sed secundum materiam, vel formam. Nec tamen patientia ponitur pars temperantia, quamvis utraque sit in concupiscibili: quia temperantia est solum circa tristitias, quæ opponuntur delectationibus tactus, puta quæ sunt ex abstinentia ciborum, vel venerorum; sed patientia præcipue est circa tristitias quæ ab aliis inferuntur. Et iterum ad temperantiam pertinet refrænare huiusmodi tristitias, sicut & delectationes contrarias. Ad patientiam autem pertinet ut propter huiusmodi tristitias, quantacumque sint, homo non recedat à bono virtutis.

Ad tertium dicendum, quod patientia potest quantum ad aliquid sui poni pars integralis fortitudinis: de qua parte obiecto procedit, prout scilicet aliquis patienter sustinet mala, quæ pertinent ad pericula mortis. Nec est contra rationem patientiæ quod aliquis, quando opus fuerit, insiliat in eum qui mala facit: quia, ut Chrysostomus (alius Auctor) dicit super illud Matth. 1v. Vade Satana (hom. v. in op. imperf. à med.) In iniuriis propriis patientem esse laudabile est; iniurias autem Dei patienter sustinere, nimis iniurium: & Augustinus dicit in quadam epistola ad Marcellinum (cxxxviii. al. v. ante med.) quod præcepta patientia non contrariantur bono reipublice, pro quo conservando contra inimicos pugnatur. Secundum vero quod patientia se habet circa quæcumque alia mala, adiungitur fortitudini ut virtus secundaria principali.

Respondeo dicendum, quod patientia est pars fortitudinis quasi potentialis, quia adiungitur fortitudini sicut virtus secundaria principali. Ad patientiam enim pertinet aliena mala æquanimiter perpeti, ut Gregorius dicit in quadam hom. (xxxv. in Evang. parum ante med.) In malis autem quæ ab aliis inferuntur, præcipua sunt, & difficillima ad sustinendum illa quæ pertinent ad pericula mortis, circa quæ est fortitudo. Unde patet quod in ista materia principalitatem tenet fortitudo, quasi vendicans sibi id quod principaliter est in hac materia. Et ideo patientia adiungitur ei sicut secundaria virtus principali.

ARTICULUS V. 672

Utrum patientia sit idem quod longanimitas.

Sup. quæst. cxxxv. art. 3. ad 3. & 1. 2. quæst. lxx. art. 3. corp. & II. Cor. vi. nono cell. 2. princ.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod patientia sit idem quod longanimitas. Dicit enim Augustinus in lib. de Patientia (æquival. cap. 1.) quod patientia Dei non prædicatur in hoc quod aliquando malum patitur, sed in hoc quod expectat malum, ut convalescat: unde Eccli. v. 4. dicitur: Alis finibus patienti redditor est. Ergo videtur quod patientia sit idem quod longanimitas.

2. Præterea. Idem non est oppositum duobus. Sed impatientia opponitur longanimitati, per quam aliquis moram expectat: dicitur enim aliquis impatiens moræ, sicut aliorum malorum. Ergo videtur quod patientia sit idem longanimitati.

3. Præterea. Sicut tempus est quædam circumstantia malorum quæ sustinentur, ita etiam locus. Sed ex parte loci non sumitur aliqua virtus, quæ distinguatur à patientia. Ergo similiter nec longanimitas, quæ sumitur ex parte temporis, in quantum scilicet aliquis diu expectat, distinguatur à patientia.

Sed contra est quod super illud ad Rom. 11. An desinat bonitatis eius? & patientie, & longanimitatis contentis? dicit Glossa (Orig. lib. II. comment. in hanc epist. cap. 11. parum à princ.) Videtur longanimitas à patientia differre: quia qui infirmitate magis quam proposito delinquit, sustentari per longanimitatem dicuntur; qui vero pertinaci mente exultant in delictis suis, ferti patienter dicendi sunt.

Respondeo dicendum, quod sicut magnanimitas dicitur per quam habet aliquis animum tendendi in magna; ita etiam longanimitas dicitur per quam aliquis habet animum tendendi in aliquid quod in longinquum distat. Et ideo sicut magnanimitas magis respicit spem tendentem in bonum, quam audaciam, vel timorem, sive tristitiam, quæ respiciunt malum; ita etiam longanimitas. Unde longanimitas majorem convenientiam videtur habere cum magnanimitate quam cum patientia.

Potest tamen convenire cum patientia duplici ratione. Primo quidem quia patientia, sicut & fortitudo, sustinet aliqua mala propter aliquod bonum: quod si ex propinquo expectatur.

S. Thom. Op. Tom. IV. (a) Ita committitur. Edit. Rom. Si autem in longinquum differatur, difficilior est expectatio. Mala autem in presenti sustinere difficilior est.

teur, facilius est sustinere; (a) si autem in longinquum differatur illud bonum, mala autem oportet in presenti sustinere, difficilior est. Secundo quia hoc ipsum, quod est difficilius bonum speratum, natum est causare tristitiam, secundum illud Proverb. xxi. 2. Spes, quæ differtur, effugit animam. Unde & in sustinendo huiusmodi afflictionem potest esse patientia; sicut & in sustinendo quicumque alius tristitias. Sic ergo secundum quod sub eadem ratione mali contristantis quod comprehendit: & dilatio boni sperati, quæ pertinet ad longanimitatem; & labor, quem homo sustinet in continuata executione boni operis, quod pertinet ad constantiam, tam longanimitas, quam etiam constantia sub patientia comprehenduntur.

Unde & Tullius (lib. II. de Invent. aliquant. ante fin.) definiens patientiam dicit, quod patientia est huiusmodi, ac utilitatis causa, voluntaria ac diuturna perceptio rerum arduarum, ac difficilium. Quod dicit arduarum, pertinet ad constantiam in bono; quod dicit difficultium, pertinet ad gravitatem mali, quam proprie respicit patientia; quod vero addit, diuturna, sive diutina, pertinet ad longanimitatem, secundum quod convenit cum patientia.

Et per hoc patet responso ad primum, & secundum, & tertium dicendum, quod illud quod est longinquum loco, quævis sit remotum à nobis, non tamen est simpliciter remotum à natura rerum, sicut id quod est longinquum tempore: & ideo non est similis ratio. Et præterea quod est longinquum loco, non affert difficultatem nisi ratione temporis; quia quod est longinquum loco à nobis, tardius tempore ad nos potest pervenire.

Quartum concedimus. Tamen consideranda est ratio illius differentia, quam Glossa assignat; quia in his qui ex infirmitate peccant, hoc solum videtur importabile quod diu perseverant in malo: & ideo dicitur, quod ex longanimitate supportantur. Sed hoc ipsum quod aliquis ex superbia peccat, importabile videtur: & ideo per patientiam dicuntur sustineri illi qui ex superbia peccant.

Respondeo dicendum, quod patientia est pars fortitudinis quasi potentialis, quia adiungitur fortitudini sicut virtus secundaria principali. Ad patientiam enim pertinet aliena mala æquanimiter perpeti, ut Gregorius dicit in quadam hom. (xxxv. in Evang. parum ante med.) In malis autem quæ ab aliis inferuntur, præcipua sunt, & difficillima ad sustinendum illa quæ pertinent ad pericula mortis, circa quæ est fortitudo. Unde patet quod in ista materia principalitatem tenet fortitudo, quasi vendicans sibi id quod principaliter est in hac materia. Et ideo patientia adiungitur ei sicut secundaria virtus principali.

QUÆST. CXXXVI. ART. V. (a) Ita committitur. Edit. Rom. Si autem in longinquum differatur, difficilior est expectatio. Mala autem in presenti sustinere difficilior est.

QUÆSTIO CXXXVII.

De perseverantia.

in quatuor articulis divisam.

Dinde considerandum est de perseverantia, & viciis oppositis. Circa perseverantiam autem queruntur quatuor.

Primo, utrum perseverantia sit virtus. Secundo, utrum sit pars fortitudinis. Tertio, quomodo se habeat ad constantiam.

Quarto, utrum indigeat auxilio gratiæ.

ARTICULUS I. 673

Utrum perseverantia sit virtus.

Inf. art. 2. corp. & ad 1. & 2. & q. cxxxvii. 1. 1. art. 1. corp. & III. dist. xxxiii. quest. 112. art. 3. quest. 1. ad 4. & quest. 4. ad 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod perseverantia non sit virtus. Quia, ut Philosophus dicit in VII. Ethic. (cap. vii. circ. med.) continentia est potior quam perseverantia. Sed continentia non est virtus, ut dicitur in IV. Ethic. (in fin.) Ergo perseverantia non est virtus.

2. Præterea, Virtus est qua recte vivitur, secundum Augustinum in lib. II. de Lib. arb. (cap. xix. à princ.) Sed, sicut ipse dicit in lib. de Perseverantia (cap. 1.) nullus potest dici perseverantiam habere, quamdiu vivit, nisi perseveret usque ad mortem. Ergo perseverantia non est virtus.

3. Præterea, Immobiliter persistere in opere virtutis requiritur ad omnem virtutem, ut patet in II. Ethic. (cap. iv.) Sed hoc pertinet ad rationem perseverantiæ: dicit enim Tullius in sua Reth. (lib. II. de Invent. aliquant. ante fin.) quod perseverantia est in ratione bene considerata stabilit, & perpetua permansio. Ergo perseverantia non est specialis virtus, sed conditio omnis virtutis.

Sed contra est quod Andronicus dicit, quod perseverantia est habitus eorum quibus immanendum est, & non immanendum, & neutrorum. Sed habitus ordinans nos ad bene faciendum aliquid, vel omittendum, est virtus. Ergo perseverantia est virtus.

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in II. Ethic. (cap. 117. in fin.) virtus est circa difficile, & bonum: & ideo ubi occurrit specialis ratio difficultatis, vel boni, ibi est specialis virtus. Opus autem virtutis potest

habere bonitatem, & difficultatem ex duobus: uno quidem modo ex ipsa specie actus, quæ accipitur secundum rationem proprii objecti, alio modo ex ipsa diurnitate temporis: nam hoc ipsum quod est diu insistere alicui difficili, specialem difficultatem habet. Et ideo diu persistere in aliquo bono usque ad consummationem pertinet ad specialem virtutem.

Sicut ergo temperantia, & fortitudo sunt speciales virtutes, eo quod altera earum moderatur delectationes tactus (quod de se difficultatem habet) altera autem moderatur timores, & audacias circa pericula mortis (quod etiam secundum se difficile est) ita etiam perseverantia est quedam specialis virtus, ad quam pertinet in his, vel in aliis virtuosis operibus diurnitatem sustinere, prout necesse est.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus accipit ibi perseverantiam, secundum quod aliquis perseverat in his, in quibus difficillimum est diu sustinere. Non est autem difficile diu sustinere bona, sed mala. Mala autem que sunt pericula mortis, ut plurimum non diu sustentur, quia ut frequentius cito transeunt: unde respectu illorum non est precipua laus perseverantiæ. Inter alia autem mala præcipua sunt illa que opponuntur delectationibus tactus: quia huiusmodi mala attenduntur circa necessaria vitæ, puta circa defectum ciborum, & aliorum huiusmodi, quæ quandoque imminere diu sustinentur. Non est autem difficile hæc diu sustinere illi qui circa hoc non multum tristatur, nec in oppositis bonis multum delectatur; sicut patet in temperato, in quo huiusmodi passiones non sunt vehementes. Sed maxime hoc difficile est in eo qui circa hoc vehementer afficitur, utpote non habens perfectam virtutem modificantem has passiones. Et ideo si accipiatur hoc modo perseverantia, non est virtus perfecta, sed est quoddam imperfectum in genere virtutis. Si autem accipiamus perseverantiam; secundum quod aliquis in quocumque bono difficili diu persistit; hoc potest convenire etiam habenti perfectam virtutem: cui etiam si persistere sit minus difficile, persistit tamen in bono magis perfecto. Unde talis perseverantia potest esse virtus: quia perfectio virtutis magis attenditur secundum rationem boni quam secundum rationem difficultis.

Ad secundum dicendum, quod eodem nomine quandoque nominatur, & virtus, & actus virtutis, sicut Augustinus dicit super Joann. (tract. lxxix. paulo à princ.) *Fides est credere quod non videtur.* Potest tamen contingere quod aliquis habeat habitum virtutis, qui tamen non exercet actum; sicut aliquis pauper habet habitum magnificentie, cum tamen actum non exerceat. Quandoque vero aliquis habens habitum, incipit quidem exercere actum, sed non

non perficit; puta si edificator incipiat edificare, & non compleat domum. Sic ergo dicendum est, quod nomen perseverantiæ quandoque sumitur pro habitu, quo quis eligit perseverare, quandoque autem pro actu quo quis perseverat: & quandoque quidem habens habitum perseverantiæ eligit quidem perseverare, & incipit exequi aliquamdiu persistendo, non tamen complet actum, quia non persistit usque ad finem. Est autem duplex finis: unus quidem qui est finis operis; alius autem qui est finis humanæ vitæ. Per se autem ad perseverantiam pertinet ut aliquis perseveret usque ad terminum virtuosi operis; sicut quod miles perseveret usque ad finem certaminis, & magnificus usque ad finem certaminis operis. Sunt autem quedam virtutes quarum actus per totam vitam debent durare, sicut fides, spes, & caritatis, qui respiciunt ultimum finem totius vitæ humanæ. Et ideo respectu harum virtutum, quæ sunt principales, non consummatur actus perseverantiæ usque ad finem vitæ. Et secundum hoc Augustinus accipit perseverantiam pro actu perseverantiæ consummato.

Ad tertium dicendum, quod immobiliter persistere virtuti potest convenire dupliciter. Uno modo ex propria intentione finis: & sic diu persistere usque ad finem in bono, pertinet ad specialem virtutem, quæ dicitur perseverantia, quæ hoc intendit sicut specialem finem. Alio modo ex comparatione habitus ad subiectum: & sic immobiliter persistere consequitur quamlibet virtutem, in quantum est *qualitas difficile mobilis.*

ARTICULUS II. 674

Utrum perseverantia sit pars fortitudinis.

Sup. quest. cxxxviii. & III. dist. xxxiii. quest. 111. art. 3. quest. 1. 2. & 4. corp.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod perseverantia non sit pars fortitudinis. Quia, ut Philosophus dicit in VII. Eth. (cap. vii. à princ.) perseverantia est circa tristitiam tactus. Sed huiusmodi pertinent ad temperantiam. Ergo perseverantia magis est pars temperantiæ quam fortitudinis.

2. Præterea, Omnis pars virtutis moralis est circa aliquas passiones quas virtus moralis moderatur. Sed perseverantia non importat moderantiam passionum: quia quanto vehementiores fuerint passiones, tanto aliquis secundum rationem perseverans laudabilior videtur. Ergo videtur quod perseverantia non sit pars alicuius virtutis moralis, sed magis prudentiæ, quæ perficit rationem.

3. Præterea, Augustinus dicit in lib. de

Perseverantia (cap. 1.) quod perseverantiam nullus potest amittere; alias autem virtutes potest homo amittere. Ergo perseverantia est potior omnibus aliis virtutibus. Sed virtus principalis est potior quam ejus pars. Ergo perseverantia non est pars alicuius virtutis, sed magis ipsa est virtus principalis.

Sed contra est quod Tullius (lib. II. de Invent. aliquant. ante fin.) ponit perseverantiam partem fortitudinis.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quest. cxxiii. art. 11. & 1. 2. quest. lxi. art. 3. & 4.) virtus principalis est cui principaliter adscribitur aliquid quod pertinet ad laudem virtutis, in quantum scilicet exercet illud circa propriam materiam, in qua difficillimum, & optimum est illud observare.

Et secundum hoc dictum est (q. cxxviii. art. 11.) quod fortitudo est principalis virtus, quia firmitatem servat in his in quibus difficillimum est firmiter persistere, scilicet in periculis mortis. Et ideo necesse est quod fortitudini adjungatur, sicut secundaria virtus principalis, omnis illa virtus cujus laus consistit in sustinendo firmiter aliquid difficile. Sustinere autem difficultatem quæ provenit ex diurnitate boni operis; dat laudem perseverantiæ: nec hoc est ita difficile sicut sustinere pericula mortis. Et ideo perseverantia adjungitur fortitudini sicut virtus secundaria principalis.

Ad primum ergo dicendum, quod annexio secundarie virtutis ad principalem non solum attenditur secundum materiam, sed magis secundum modum: quia forma in unoquoque potior est quam materia. Unde licet perseverantia magis videatur convenire in materia cum temperantia quam cum fortitudine; tamen in modo magis convenit cum fortitudine, in quantum firmitatem servat contra difficultatem diurnitatis.

Ad secundum dicendum, quod illa perseverantia de qua loquitur Philosophus (lib. VII. Ethic. cap. iv. & vii.) non moderatur aliquas passiones, sed consistit solum in quadam firmitate rationis, & voluntatis. Sed perseverantia, secundum quod ponitur virtus, moderatur aliquas passiones, scilicet timorem fatigationis, aut defectus propter diurnitatem. Unde hæc virtus est in irascibili, sicut fortitudo.

Ad tertium dicendum, quod Augustinus ibi loquitur de perseverantia, non secundum quod nominat habitum virtutis, sed secundum quod nominat actum virtutis continuatum usque in finem, secundum illud Matth. xxiv. 13. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Et ideo contra rationem perseverantiæ sic acceptæ esset quod amitteretur, quia jam non duraret usque in finem.

ARTICULUS III. 675

Utrum constantia pertinet ad perseverantiam.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod constantia non pertineat ad perseverantiam. Constantia enim pertinet ad patientiam, ut supra dictum est (quæst. præc. art. 5.) Sed patientia differt à perseverantia. Ergo constantia non pertinet ad perseverantiam.

2. Præterea. *Virtus est circa difficile, & bonum.* Sed in parvis operibus constantem esse non videtur esse difficile, sed solum in operibus magnis, quæ pertinent ad magnificentiam. Ergo constantia magis pertinet ad magnificentiam quam ad perseverantiam.

3. Præterea. Si ad perseverantiam pertineret constantia, in nullo videretur à perseverantia differre, quia utrumque immobilitatem quandam importat. Differunt autem: nam Macrobius (lib. 1. in Somn. Scip. cap. viii. circ. med.) condidit constantiam firmitati, per quam intelligitur perseverantia, ut supra dictum est (quæst. cxxviii. ad vi.) Ergo constantia non pertinet ad perseverantiam.

Sed contra est quod aliquis dicitur esse constans ex eo quod in aliquo stat. Sed immanere aliquibus pertinet ad perseverantiam, ut patet ex definitione quam Andronicus ponit. Ergo constantia pertinet ad perseverantiam.

Respondeo dicendum, quod perseverantia, & constantia conveniunt quidem in fine, quia ad utrumque pertinet firmiter persistere in aliquo bono; differunt autem secundum ea quæ difficultatem afferunt ad persistendum in bono: nam virtus perseverantiæ proprie facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem quæ provenit ex ipsa diuturnitate actus; constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem quæ provenit ex quibuscumque aliis exterioribus impedimentis.

Et ideo principalior pars fortitudinis est perseverantia quam constantia: quia difficultas quæ est ex diuturnitate actus, est essentialior actui virtutis, quam illa quæ est ex exterioribus impedimentis.

Ad primum ergo dicendum, quod exteriora impedimenta persistendi in bono præcipue sunt illa quæ tristitia inferunt. Circa tristitiam autem est patientia, ut dictum est (quæst. præc. art. 1.) Et ideo constantia secundum finem convenit cum perseverantia; secundum autem ea quæ difficultatem inferunt, convenit cum patientia. Finis autem potior est: & ideo constantia magis pertinet ad perseverantiam quam ad patientiam.

Ad secundum dicendum, quod in magnis

operibus persistere difficilius est; sed in parvis, vel in mediocribus diu persistere habet difficultatem, etiam non ex magnitudine actus, quam respicit magnificentia, saltem ex ipsa diuturnitate, quam respicit perseverantia. Et ideo constantia potest ad utrumque pertinere.

Ad tertium dicendum, quod constantia pertinet quidem ad perseverantiam, in quantum convenit cum ea; non tamen est idem ei, in quantum differt ab ea, ut dictum est (in corp.)

ARTICULUS IV. 676

Utrum perseverantia indigeat auxilio gratiæ.

1. 2. quæst. cix. art. 9. & 10. & quæst. cxiv. art. 2. corp. & II. dist. xx. in expo. & ad 2. & III. contr. cap. cxxv. & 20. quæst. xxiv. art. 5. ad 3. & Psalm. xxxi. & Joana. 1. lect. 2. princ.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod perseverantia non indigeat auxilio gratiæ. Perseverantia enim est quadam virtus, ut dictum est (art. 1. hujus quæst.). Sed virtus, ut Tullius dicit in sua Rhetor. (lib. II. de Invent. aliquant. ante fin.) agit in modum naturæ. Ergo sola inclinatio virtutis sufficit ad perseverandum. Non ergo ad hoc requiritur aliquod auxilium gratiæ.

2. Præterea. Donum gratiæ Christi est majus quam nocumentum quod Adam intulit, ut patet ad Rom. v. Sed ante peccatum *fit conditus fuit homo, ut posset perseverare per id quod acceperat, sicut Augustinus dicit in lib. de Corrept. & gratia (cap. xi. in med.)* Ergo multo magis per gratiam Christi reparatur potest perseverare atque auxilio novæ gratiæ.

3. Præterea. Opera peccati quandoque sunt difficiliora quam opera virtutis: unde ex persona Impiorum dicitur Sap. v. 7. *Amplius vias difficiles.* Sed aliqui perseverant in operibus peccati absque alterius auxilio. Ergo etiam in operibus virtutum potest homo perseverare absque auxilio gratiæ.

Sed contra est quod Augustinus dicit in lib. de Perseverantia (cap. 1. in princ.) *Asserimus donum Dei esse perseverantiam, quæ usque ad finem perseveratur in Christi.*

Respondeo dicendum, quod, sicut ex dictis patet (art. 1. hujus quæst. ad 2. & art. 2. ad 3.) perseverantia dupliciter dicitur. Uno modo pro ipso habitu perseverantiæ, secundum quod est virtus: & hoc modo indiget dono habitualis gratiæ, sicut & cæteræ virtutes insule.

Alio modo potest accipi pro actu perseverantiæ durante usque ad mortem: & secundum

ARTICULUS I. 677

Utrum mollities opponatur perseverantia.

Inf. art. 2. corp.

AD primum sic proceditur. Videtur quod mollities non opponatur perseverantiæ. Quia super illud I. ad Cor. vi. *Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores,* Glossa (intel.) exponit: „*Molles, idest pathici, hoc est muliebria patientes.*“ Sed hoc opponitur castitati. Ergo mollities non est vitium oppositum perseverantiæ.

2. Præterea. Philosophus dicit in VII. Eth. (cap. vii. ante med.) quod *delicia mollities quædam est.* Sed esse deliciofum videtur pertinere ad intemperantiam. Ergo mollities non opponitur perseverantiæ, sed magis temperantiæ.

3. Præterea. Philosophus ibidem dicit, quod *lascivus est mollis.* Sed esse immoderate lascivum opponitur eutrapeliæ, quæ est virtus circa delectationes ludorum, ut dicitur in IV. Ethic. (cap. viii.) Ergo mollities non opponitur perseverantiæ.

Sed contra est quod Philosophus dicit in VII. Ethic. (cap. vii. circa med.) quod *mollis opponitur perseverantibus.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. præc. art. 1. & 2.) lascivus perseverantiæ in hoc consistit quod aliquis non recedit à bono propter diuturnam tolerantiam difficultium, & laboriosorum: cui dicitur videtur opponi quod aliquis de facili recedat à bono propter aliqua difficultia, quæ sustinere non potest: & hoc pertinet ad rationem mollitiei: nam *molle* dicitur quod facile cedit tangenti.

Non autem judicatur aliquod molle ex hoc quod cedit fortiter impellenti: nam & parietes cedunt machinæ percutienti. Et ideo non reputatur aliquis mollis, si cedat aliquibus valde graviter impellentibus. Unde Philosophus dicit in VII. Ethic. (cap. vii. à med.) quod *si quis à fortibus, & superexcellentiibus delectationibus vincitur, vel tristitia; non est admirabile, sed condonabile, si contra tendat.* Manifestum est autem quod graviter impellit metus periculorum quam cupiditas delectationum. Unde Tullius dicit in I. de Offic. (in tit. *Vera magnanimitas in duobus sita est.*) *Non est consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, nec qui invictum se à labore profecerit, cincti à voluptate.* Ipsa etiam voluptas fortius movet attrahendo, quam tristitia de carentia voluptatis retrahendo: quia carentia voluptatis est purus defectus. Et ideo secundum Philosophum (loc. sup. cit.) proprie mollis dicitur qui recedit à bono propter tristitias caustas ex

de-

dum hoc indiget non solum gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio conservantis hominem in bono usque ad finem vite, sicut supra dictum est (1. 2. quæst. cix. art. 10.) cum de gratia ageretur.

Quia cum liberum arbitrium de se sit veritabile, & hoc ei non tollatur per habituales gratiam presentis vite, non subest potestati liberi arbitrii etiam per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate ejus quod hoc eligeret: plerumque enim cadit in nostram potestatem electio, sed non executio.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus perseverantiæ, quantum est de se, inclinatur ad perseverandum; quia tamen habitus est, quo quis utitur cum voluerit, non est necessarium quod habens habitum virtutis immobiliter utatur eo usque ad mortem.

Ad secundum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in lib. de Corrept. & gratia (cap. xi. in med.) *primo homini datum est non ut perseveraret, sed ut perseverare possit per liberum arbitrium: quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perseverandi difficultatem præberet. Sed nunc predestinatis per gratiam Christi non solum datur ut perseverare possint, sed ut perseverent. Unde primus bono nullo terrente, contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate cum tanta non peccandi facilitate; isti autem, se vivente mundo ne starent, steterunt in fide.*

Ad tertium dicendum, quod homo per se potest cadere in peccatum; sed non potest per se resurgere à peccato sine auxilio gratiæ. Et ideo ex hoc ipso quod homo cadit in peccatum, quantum de se est, facit se in peccato perseverantem, nisi gratia Dei liberetur; non autem ex hoc quod facit bonum, facit se perseverantem in bono: quia de se potens est peccare; & ideo ad hoc indiget auxilio gratiæ.

QUÆSTIO CXXXVIII.

De vitis oppositis perseverantiæ,

in duos articulos divisa.

DEinde considerandum est de vitis oppositis perseverantiæ: & circa hoc queruntur duo.

Primo de mollitie.

Secundo de pertinacia.

defectu delectationum, quasi cedens debili moventi.

Ad primum ergo dicendum, quod prædicta mollietas causatur dupliciter: uno modo ex consuetudine: cum enim aliquis consuetus est voluptatibus frui, difficilior potest earum absentiam sustinere, alio modo ex naturali dispositione, quia videlicet habet animum minus constantem propter fragilitatem complexionis. Et hoc modo comparantur femine: ad masculos, ut Philosophus dicit in VII. Ethic. (loc. sup. cit.) Et ideo illi qui muliebria patiuntur, molles dicuntur, quasi muliebres effecti.

Ad secundum dicendum, quod voluptati corporali opponitur labor: & ideo res laboriosæ tantum impediunt voluptates. Deliciosi autem dicuntur qui non possunt sustinere aliquos labores, nec aliquid quod voluptatem diminiat. Unde dicitur Deut. xxxviii. 56. *Tenera mulier, & delicata, que super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollietatem.* Et ideo delicia mollietatis quædam est. Sed mollietatis proprie respicit defectum delectationum; delicta autem causam impeditivam delectationis, puta laborem, vel aliquid huiusmodi.

Ad tertium dicendum, quod in ludo duo est considerare. Uno quidem modo delectationem: & sic inordinate lufus opponitur utraque. Alio modo in ludo consideratur quedam remissio, sive quies, que opponitur labori. Et ideo sicut non posse sustinere laboriosa pertinet ad mollietatem, ita etiam nimis appetere remissionem ludi, vel quamcumque aliam quietem.

ARTICULUS II. 678

Utrum pertinacia opponatur perseverantia.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod pertinacia non opponatur perseverantia. Dicit enim Gregorius XXXI. Moral. (cap. xvi. à med.) quod *pernacia oritur ex inani gloria.* Sed inanis gloria non opponitur perseverantia, sed magis magnanimitati, ut supra dictum est (quæst. cxxxii. art. 2.) Ergo pertinacia non opponitur perseverantia.

2. Præterea. Si opponitur perseverantia, aut opponitur ei per excessum, aut per defectum. Sed non opponitur ei per excessum, quia etiam pertinax credit alicui delectationi, & tristitia: quia, ut dicit Philosophus in VII. Ethic. (cap. ix. ante med.) *gaudent vincentes, & tristantur, si sententia eorum infirma appareant.* Si autem per defectum, erit idem quod mollietas: quod patet esse falsum. Nullo ergo modo pertinacia opponitur perseverantia.

QUÆ-

(a) Ita optimè cod. Alcan. juxta votum Garcia, qui locum depravatam apprehendit. Nichil enim impudenter tenax, & quasi omnino tenens, &c. Edit. Rom. quasi omnia tenens: & hic idem dicitur pertinax. Edit. Patav. & quasi ad omnia tenax, &c.

3. Præterea. Sicut perseverans persistit in bono contra tristitiam; ita continens, & temperatus contra delectationes, & fortes contra timores, & mansuetus contra iras. Sed pertinax dicitur aliquis ex eo quod nimis in aliquo persistit. Ergo pertinacia non magis opponitur perseverantia quam aliis virtutibus.

Sed contra est quod Tullius dicit in sua Rhetor. (lib. II. de Invent. aliquant. ante fin.) quod ita se habet pertinacia ad perseverantiam, sicut superstitio ad religionem. Sed superstitio opponitur religioni, ut supra dictum est (quæst. xcii. art. 1.) Ergo & pertinacia perseverantia.

Respondeo dicendum, quod, sicut Isidorus dicit in lib. X. Etymol. (ad lit. P.) *pernax dicitur aliquis qui est (a) impudenter tenens, quasi omnino tenax: & hic idem dicitur pernicax, eo quod in proposito suo ad victoriam perseverat: antiqui enim dicebant vicium, quam non videtur. Et hos Philosophus vocat in VII. Ethic. (cap. ix.) ischyregnonones, idest fortis sententia, vel idiognomnes, idest proprie sententia, quia scilicet perseverant in propria sententia plus quam oportet; molles autem minus quam oportet; perseverans autem secundum quod oportet.* Unde patet quod perseverantia laudatur, sicut in medio existens; pertinax autem vituperatur secundum excessum medi; molles autem secundum defectum.

Ad primum ergo dicendum, quod ideo aliquis nimis persistit in propria sententia, quia per hoc vult suam excellentiam manifestare: & ideo oritur ex inani gloria sicut ex causa. Dicitur enim supra (quæst. cxxvii. art. 2. ad 1. & quæst. cxxxiii. art. 2.) quod oppositio victorum ad virtutes non attenditur secundum causam, sed secundum propriam speciem.

Ad secundum dicendum, quod pertinax excedit quidem in hoc quod inordinate persistit in aliquo contra multas difficultates; habet tamen aliquam delectationem in fine, sicut & fortis, & etiam perseverans. Quia tamen illa delectatio est vitiosa, ex eo quod nimis appetit eam, & contrariam tristitiam fugit, assimilatur incontinenti, vel molli.

Ad tertium dicendum, quod est alia virtutes persistent ad impetus passionum, non tamen proprie laus earum est ex persistendo, sicut laus perseverantia. Laus vero continentia magis videtur ex vincendo delectationes. Et ideo pertinacia directe opponitur perseverantia.

QUÆSTIO CXXXIX.

De dono fortitudinis, in duos articulos divisa.

DEinde considerandum est de dono quod respondet fortitudini, quod est fortitudinis donum: & circa hoc queruntur duo. Primo, utrum fortitudo sit donum. Secundo, quid respondeat ei in beatitudinibus, & fructibus.

ARTICULUS I. 679

Utrum fortitudo sit donum.

III. dist. xxxiv. quæst. iv. art. 2. corp. & quæst. 111. art. 1. quæst. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod fortitudo non sit donum. Virtutes enim à donis differunt. Sed fortitudo est virtus. Ergo non debet poni donum.

2. Præterea. Actus donorum manent in patria, ut supra habitum est (1. 2. quæst. lxxviii. art. 6.) Sed actus fortitudinis non manent in patria: dicit enim Gregorius in I. Moral. (cap. xv. ante med.) quod *fortitudo dat fiduciam trepidanti contra adversa: quæ nulla erunt in patria.* Ergo fortitudo non est donum.

3. Præterea. Augustinus dicit in II. de doctr. christ. (cap. vii. in med.) quod *fortitudinis est ab omni transiuntium morisera jucunditate seipsum sequerare.* Sed circa noxias jucunditates, seu delectationes magis consistit temperantia quam fortitudo. Ergo videtur quod fortitudo non sit donum respondens virtuti fortitudinis.

Sed contra est quod Isa. xi. fortitudo inter alia dona Spiritus Sancti computatur.

Respondeo dicendum, quod fortitudo importat quandam animi firmitatem, ut supra dictum est (quæst. cxxxiii. art. 2. & 1. 2. q. lxi. art. 3.) Et hæc quidem firmitas animi requiritur, & in bonis faciendis, & in malis perferendis, & præcipue in arduis bonis, vel malis. Homo autem secundum proprium, & connaturalem sibi modum hanc firmitatem in utroque potest habere, ut non deficiat à bono propter difficultatem vel alicujus ardui operis implendi, vel alicujus gravis mali perferendi: & secundum hoc fortitudo ponitur virtus specialis, vel generalis, ut supra dictum est (quæst. cxxxiii. art. 2.)

Sed ulterius à Spiritu Sancto movetur animus hominis ad hoc quod perveniat ad finem cujuslibet operis inchoati, & evadat quamcumque pericula imminenta: quod quidem excedit naturam humanam. Quandoque enim

non subest potestati hominis ut consequatur finem sui operis, vel evadat mala, seu pericula, cum quandoque opprimatur ab eis in morte; sed hoc operatur Spiritus Sanctus in homine, cum perducit eum ad vitam æternam, que est finis omnium bonorum operum, & evasio omnium periculorum: & hujus rei infundit quandam fiduciam menti Spiritus Sanctus, contrarium timorem excludens: & secundum hoc fortitudo donum Spiritus Sancti ponitur. Dicitur enim supra (1. 2. quæst. lxxviii. art. 1. & 2.) quod dona respiciunt motionem animæ à Spiritu Sancto.

Ad primum ergo dicendum, quod fortitudo que est virtus, perficit animum ad sustinendum quamcumque pericula; sed non sufficit dare fiduciam evadendi quamcumque pericula; sed hoc pertinet ad fortitudinem que est donum Spiritus Sancti.

Ad secundum dicendum, quod dona non habent eisdem actus in patria quos habent in via; sed ibi habent actus circa perfruitionem finis. Unde actus fortitudinis ibi est perfrui plena securitate à laboribus, & malis.

Ad tertium dicendum, quod donum fortitudinis respicit virtutem fortitudinis, non solum secundum quod consistit in sustinendo pericula, sed etiam secundum quod consistit in quocumque arduo opere faciendo. Et ideo donum fortitudinis dirigitur à dono consilii, quod videtur præcipue esse de melioribus bonis.

ARTICULUS II. 680

Utrum quarta beatitudo, scilicet Beati, qui clarior, & sitiant iustitiam, respondeat dono fortitudinis.

Inf. quæst. clxxxiii. & 1. 2. quæst. lxxix. art. 3. ad 3. & III. dist. xxxiv. quæst. 1. art. 4. & 6. corp.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod quarta beatitudo, scilicet Beati qui esuriant, & sitiant iustitiam, non respondeat dono fortitudinis. Donum enim fortitudinis non respondet virtuti iustitiæ, sed potius donum pietatis. Sed esurire, & sitire iustitiam pertinet ad actum iustitiæ. Ergo beatitudo ista magis pertinet ad donum pietatis quam ad donum fortitudinis.

2. Præterea. Esurire, & sitire iustitiam importat desiderium boni. Sed hoc proprie pertinet ad caritatem, cui non respondet donum fortitudinis, sed magis donum sapientiæ, ut supra dictum est (quæst. xlv.) Ergo ista beatitudo non respondet dono fortitudinis, sed dono sapientiæ.

R

3. Præ-

3. Præterea. Fructus consequuntur ad beatitudines: quia de ratione beatitudinis est delectatio, ut dicitur in I. Ethic. (cap. viii. à med.) Sed in fructibus non videtur aliquid poni quod pertineat ad fortitudinem. Ergo nec beatitudo aliqua ei responderet.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. I. de ferm. Dom. in monte (cap. iv. ante med.) *Fortitudo congruit esurientibus, & sitientibus: laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, amorem à terrenis, & corporalibus avertere cupientes.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. cxxi. art. 2.) Augustinus attribuit beatitudines donis secundum ordinem enumerationis, considerata tamen aliqua convenientia. Et ideo quartam beatitudinem, scilicet de esurie, & siti iustitiæ, attribuit quarto dono, scilicet dono fortitudinis.

Est tamen ibi aliqua convenientia: quia, sicut dictum est (art. præc.) fortitudo in arduis consistit. Est autem valde arduum quod aliquis non solum opera virtuosa faciat, quæ communiter dicuntur opera iustitiæ; sed quod faciat ea cum insatiabili quodam desiderio; quod potest significari per famem, & sitim iustitiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Chrysostomus dicit super Matth. (hom. xv. inter princ. & med.) iustitia hic potest accipi non solum particularis, sed etiam universalis, quæ se habet ad omnium virtutum opera, ut dicitur in V. Ethic. (cap. i. à med.) in quibus arduum intendit fortitudo, quæ est donum.

Ad secundum dicendum, quod caritas est radix omnium donorum, & virtutum, ut supra dictum est (quæst. xxiii. art. 2. ad 3.) & 1. 2. quæst. lxxviii. art. 4. ad 3.) Et ideo quicquid pertinet ad fortitudinem, potest etiam ad caritatem pertinere.

Ad tertium dicendum, quod inter fructus ponuntur duo quæ sufficienter correspondent dono fortitudinis; scilicet patientia, quæ respicit sustentiam malorum, & longanimitas, quæ respiciere potest diurnam expectationem, & operationem bonorum.

QUÆSTIO CXL.

De præceptis fortitudinis;

in duos articulos divisæ.

DEinde considerandum est de præceptis fortitudinis.

Et primo de præceptis ipsius fortitudinis.

Secundo de præceptis partium ejus.

ARTICULUS I. 681

Utrum convenienter in lege divina præcepta fortitudinis tradantur.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non convenienter in lege divina præcepta fortitudinis tradantur. Lex enim nova perfectior est veteri lege. Sed in veteri lege ponuntur aliqua præcepta fortitudinis, ut patet Deuter. xx. Ergo & in nova lege aliqua præcepta fortitudinis danda fuerunt.

2. Præterea. Præcepta affirmativa videntur esse potiora præceptis negativis, quia affirmativa includunt negativa, sed non è converso. Inconvenienter ergo in lege divina ponuntur præcepta fortitudinis solum negativa timore prohibentia.

3. Præterea. Fortitudo est una de virtutibus principalibus, ut supra habitum est (quæst. cxxiii. art. 11. & 1. 2. quæst. lxxi. art. 2.) sed præcepta ordinantur ad virtutes sicut ad fines: unde debent eis proportionari. Ergo præcepta fortitudinis debuerunt poni inter præcepta Decalogi, quæ sunt principalia legis præcepta.

Sed contrarium apparet ex traditione sacre Scripturæ.

Respondeo dicendum, quod præcepta legis ordinantur ad intentionem legislatoris. Unde secundum diversos fines quos intendit legislator, oportet diversimode præcepta legis institui: unde & in rebus humanis alia sunt præcepta democratica, alia regia, alia tyrannica. Finis autem legis divinæ est ut homo inhæreat Deo: & ideo præcepta legis divinæ tam de fortitudine, quam de aliis virtutibus dantur, secundum quod convenit ordinationi mentis in Deum: & propter hoc Deuter. xx. 3. dicitur: *Non formidaveris eum, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit.*

Leges autem humanæ ordinantur ad aliqua mundana bona, secundum quorum conditionem præcepta fortitudinis in humanis legibus inveniuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod vetus testamentum habebat temporalia promissa, novum autem spiritualia, & æterna, ut Augustinus dicit contra Faust. (Lib. IV. cap. 11. in princ.) Et ideo necessarium fuit ut in veteri lege populus instrueretur, qualiter pugnare deberet etiam corporaliter pro terrena possessione acquirenda; in novo autem testamento instruendi fuerunt homines, qualiter spiritualiter cerando ad possessionem vite æternæ pervenirent, secundum illud Matth. xi. 12. *Regnum celorum vobis patitur, & violenti rapiunt illud.* Unde & Petrus præcipit I. Pet. ult. 8. *Adversarios vestros dimicabitis.*

bolus, tamquam leo rugiens, circulo querens quem devoret: cui resistite fortes in fide: & Jacobi xv. 7. Resistite diabolo & fugiet à vobis. Quia tamen homines ad spiritualia bona tendentes, ab eis retrahi possent per corporalia pericula, fuerunt etiam in lege nova. danda fortitudinis præcepta ad sustinenda fortiter temporalia mala, secundum illud Matth. x. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus.*

Ad secundum dicendum, quod lex in suis præceptis habet communem instructionem. Ea vero quæ sunt agenda in periculis, non possunt ad aliquod commune reduci, sicut ea quæ sunt vitanda. Et ideo præcepta fortitudinis magis dantur negative quam affirmative.

Ad tertium dicendum, quod, sicut dictum est (quæst. cxxiii. art. 1.) præcepta Decalogi ponuntur in lege, sicut prima principia, quæ statim debent esse omnibus nota. Et ideo præcepta Decalogi debuerunt esse principaliter de actibus iustitiæ, in quibus manifeste videtur esse ratio debiti; non autem de actibus fortitudinis, quia non ita manifeste videtur esse debitum quod aliquis pericula mortis non reformidet.

ARTICULUS II. 682

Utrum convenienter tradantur præcepta in lege divina de partibus fortitudinis.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter tradantur præcepta in lege divina de partibus fortitudinis. Sicut enim patientia, & perseverantia sunt partes fortitudinis; ita etiam magnificencia, & magnanimitas, sive fiducia, ut ex supra dictis patet (quæst. cxxviii.) Sed de patientia inveniuntur aliqua præcepta tradita in lege divina: similiter etiam & de perseverantia. Ergo pari ratione de magnificencia, & magnanimitate aliqua præcepta tradi debuerunt.

2. Præterea. Patientia est virtus maxime necessaria, cum sit custos aliarum virtutum, ut Gregorius dicit (hom. xxxv. in Evang. parum ante med.) Sed de aliis virtutibus dantur absolute præcepta. Non ergo de patientia fuerunt danda præcepta quæ intelligantur solum secundum preparationem animi, ut Augustinus dicit in Lib. I. de ferm. Dom. in monte (cap. xix. & xxi.)

3. Præterea. Patientia, & perseverantia sunt partes fortitudinis, ut dictum est (quæst. cxxviii. & cxxvii. art. 4. & cxxvii. art. 2.) Sed de fortitudine non dantur præcepta affirmativa, sed solum negativa, ut supra habitum est (art. præc. ad 2.) Ergo

S. Th. Op. Tom. IV.

(a) Ita post Garciam edit. omnes. Veteres edit. & mss. plures quæ de patientia dantur.

etiam neque de patientia, & perseverantia fuerunt danda præcepta affirmativa, sed solum negativa.

Sed contrarium habetur ex traditione sacre Scripturæ.

Respondeo dicendum, quod lex divina perfecte informat hominem de his quæ sunt necessaria ad recte vivendum. Indiget autem homo ad recte vivendum, non solum virtutibus principalibus, sed etiam virtutibus secundariis, & adjunctis: & ideo in lege divina sicut dantur convenientia præcepta de actibus virtutum principalium, ita etiam dantur convenientia præcepta de actibus secundariarum virtutum, & adjunctarum.

Ad primum ergo dicendum, quod magnificencia, & magnanimitas non pertinent ad genus fortitudinis, nisi secundum quamdam magnitudinis excellentiam, quam circa propriam materiam considerant. Ea autem quæ pertinent ad excellentiam, magis cadunt sub consiliis perfectionis quam sub præceptis necessitatis. Et ideo de magnificencia, & de magnanimitate non fuerunt danda præcepta, sed magis consilia. Afflictiones autem, & labores presentis vite pertinent ad patientiam, & perseverantiam, non ratione alicujus magnitudinis in eis consideratæ, sed ratione ipsius generis. Et ideo de patientia, & perseverantia fuerunt danda præcepta.

Ad secundum dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lxxviii. art. 2.) præcepta affirmativa est semper obligant, non tamen obligant ad semper, sed pro loco, & tempore. Et ideo sicut præcepta affirmativa (a) quæ de aliis virtutibus dantur, sunt accipienda secundum preparationem animi, ut scilicet homo sit paratus ea adimplere, cum opus fuerit; ita etiam præcepta patientiæ, & perseverantiæ dicendum, quod fortitudo, secundum quod distinguitur à patientia, & perseverantia, est circa maxima pericula, in quibus est cautius agendum: nec oportet aliquid determinari in particulari quid sit faciendum. Sed patientia, & perseverantia sunt circa minores afflictiones, & labores: & ideo magis sine periculo potest in eis determinari quid sit agendum, maxime in universalibus.

R 2 QUÆST.